
Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1170 4° copy 2



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1170 4° copy 2



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1170 4° copy 2



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1170 4° copy 2



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1170 4° copy 2



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1170 4° copy 2

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1170 4° copy 2

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1170 4° copy 2

19.-86 DA BOX

LN 1170
ex. 2

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1170 4° copy 2

M. ALBERTO MEIERO.

Clarissimo Doctissimoq; Viro, Theologiæ
Philosophiæ, Astronomiæ, Pyronomiæ
Omniumq; liberalium & a Vulgi
Captu semotarum Scientiarum perscru-
tatori admodum Industrio & indefesso
Amicitiæ ergo dono misit.

Tycho Brahe

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1170 4° copy 2

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1170 4° copy 2

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1170 4° copy 2

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1170 4° copy 2

DIARIVM ASTROLOGICVM ET METHEOROLOGICVM ANNI A NATO CHRISTO *1586.*

ET

DE COMETA QVODAM ROTVNDO OMNIQVE CAVDA DESTITVTO, *QVI ANNO PROXIME ELAPSO,* Menſibus Octobri & Nouembri conſpiciebatur, ex obſeruationibus certis deſumta conſideratio Aſtrologica:

per

Eliam Olai Cimbrum

Nobili Viro TYCHONI BRAHE *in Aſtronomicis exercitijs inſeruientem.*

Ad Loci

Longitudinem.	37.	Gr.
Latitudinem.	56.	Gr.

Excuſum in Officina VRANIBVRGICA.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1170 4° copy 2

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

B.R.H.

I

A

Pri
ru
ſec
ſol
bu
co
cu
cu
guſ

gu
phi
bu

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1170 4° copy 2

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI AC DOMINO, DOMINO CHRISTIANO, SERENISS. ET POTENTISS. DANIAE ET NORVVEGIÆ REGIS, &c. FRIDERICI SECVNDI Filio Primogenito, & in Regni Succeſſorem Electo, Domino ſuo Clementiſsimo.

ÆTherei mundi, tum quo ad perpetuas & mirandas, quas exercet, Orbium multiplicium Reuolutiones, tum quò ad eiuſdem in Elementarem varios influxus, conſideratricem Artem, quam Aſtrologiam veteres appellarunt, Princeps Illuſtriſsime, non ſaltem omnium liberalium Scientiarum antiquiſsimam, ipſiq; Cœlo, cui fundatur, coæuam exiſtere, ſed præ cæteris in ſumma olim exiſtimatione habitam, vel ex hoc ſolo manifeſtum euadit, quòd antiquitûs, non niſi ſummis Regibus, vel Regia ſtirpe oriundis, ejus Myſteria cognoſcendi facultas concederetur, qui etiam primi hanc ſummoperè excoluerunt, & cum perpetua nominis ſui Memoria, ad poſteros varijs inuentis locupletatam tranſmiſerunt. Quòd vetus ille Poëta Manilius, ad Auguſtum Cæſarem de hac ipſa arte ſcribens, his verſibus atteſtatur:

Regales animos primum dignata mouere,
Proxima tangentes cœlo faſtigia rerum. & paulò poſt:
Hi tantum mouere Decus, primiq; per Artem,
Sideribus uidere uagis pendentia fata.

Hanc etiam ob cauſam, quorundam antiquiſsimorum Regum nomina, certis ſideribus (qualia ſunt Orion, Hercules, Arctophilax, Perſeus, Ophiuchus, Erichthonius, Chiron, & ſimilia) attributa eſſe conſentaneum videtur, vt eorum grata memoria, in æter-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1170 4° copy 2

nis illis lampadibus, longè ſtabilius conſeruaretur, quam ſi ex his
terrenis, fluxis, & interitui obnoxijs rebus, comparata foret. Fuit au-
tē, apud quoſq; præſtātiſsimos Reges, & Heroas, hoc Studium diu
in magno precio, idq; non ſolū in tribus illis prioribus, Aſſyriorum,
Perſarum, & Græcorum Monarchijs, ſed etiam in hac Quarta, in
qua nunc viuitur. Imò ipſe Iulius Cæſar, primus huius quartæ Mo-
narchiæ Author, anni Politici rationem, qua etiamnū vtimur, ex mo-
tu ſolis penitius perueſtigato, per Soſigenem Mathematicum edo-
ctus, adinuenit; vnde etiā, ex ipſius nomine, hæc anni forma Iuliana
appellatur, non minori ſanè memoriæ tanti Herois conſeruatione,
quàm ex tot rebus ab illo in conſtituēda Monarchia victorioſè ge-
ſtis. Qui etiam Ægyptum penetrauit, non tantum Pompeij perſe-
quendi cauſā, ſed vt vnà de rebus Aſtronomicis, cū Sacerdotibus Æ-
gyptiorum, qui harum erant excellenter gnari, familiarius conferret,
apud quos, ſe in ipſis Caſtris & bellicis tumultibus ſidera obſeruare
ſolitū, et Anni à ſe conſtituti rationem ab Eudoxea nō ſuperatum
iri (teſte Lucano) gloriabatur. Fuerunt etiam poſt hunc Iulium non
pauci in Romanorū Monarchia Imperatores, qui Aſtronomicæ ar-
ti præclaram curā impendebant, vt Auguſtus, Tiberius, Veſpaſianus,
Titus, Adrianus, Antoninus, Seuerus & complures alij, inter quos A-
drianus adeo in hac Arte excelluit, vt ſibi ipſi annua è ſideribus Pro-
gnoſtica conſcripſiſſe, ab Hiſtoricis prædicetur. Sed omnium ma-
ximè illuſtris & memorabilis eſt, Alphonſi Regis Caſtiliæ, ante an-
nos circiter trecētos, erga hanc Diuinam Scientiā, Heroica affectio;
qui motuum cœleſtiū doctrinam penè collapſam, conuocatis vn-
diq; ex Aphrica & Europa præſtantioribus Artificibus, ingētibuſq;
in hunc vſum erogatis ſumtibus, in integrū (quoad tunc temporis
fieri potuit) reſtitui curauit. Nouas enim Cœleſtium motuum Ta-
bulas conſtrui juſſit, quæ adhuc in vſu habentur, deq; ipſius nomi-

ne Al-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1170 4° copy 2

ne Alphonſinæ appellantur, & tanti Regis memoriam, dum conuexa Poli luſtrabit lumine Titan, meliori fortaſſis Fama, quam quæ ex tot ipſius victorijs, non ſine multorum cæde & ſanguine, bello parta eſt, ad omnem Poſteritatem propagabunt. Hunc Regem tanto deſiderio Cognitionis rerum Cœleſtium flagraſſe, Hiſtoriæ perhibent, vt Romanum Imperium ſibi oblatum, præ hujus Artis amore, detrectauerit, plus ſe hinc gloriæ obtenturum ratus, quàm ex totius Imperij adminiſtratione. Nec multum ante hæc noſtra tempora, Carolus ille Quintus maximi nominis Imperator, in hac præclara Arte, plurimum impendij collocauit, adeò vt proprijs manibus Æquatoria Planetarum, ad inſtar eorum, quæ Petrus Apianus in Opere Cæſareo ipſi & fratri Ferdinando conſecrato, propoſuit, delineaſſe & conuenienter effinxiſſe, dicatur. Sic etiam Maximilianus Secundus, modò viuentis Imperatoris Pater, & anteceſſor, Aſtronomicis contemplationibus magnoperè delectabatur, & Automata, quæ motus cœleſtes, tum in plano, tum in rotundo corpore æmulabantur, aſſiduè magna cum voluptate, verſabat. Noſtra verò ætate, Illuſtriſsimus Princeps, Dominus Guilielmus Haſsiæ Landtgrauius, non ſaltem propria induſtria, compendioſa mirumq; in modum artificioſa Automata adinuenit, Mechaniceq́; elaborari curauit, ſed etiam (quod majoris emolumenti loco reputo) obſeruandis Sideribus eximia Inſtrumenta, è ſolido Metallo affabrè & exquiſita diligentia præparata, non pauca in vſu habet, quibus tam Fixarum quam Erraticarum Stellarum apparentias, non ſolum per alios huic officio à ſe deſtinatos Aſtronomiæ Peritos, ſed ipſemet etiam proprijs oculis per ocium, cœlitus, accurata adhibita præciſione, perueſtigat. Cumq; ſummi Artificis partes, in hac præclara Scientia, facilè ſuſtineat, de Artis reſtitutione & conſeruatione, nunquam ſatis laudato propoſito, curam Prin-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1170 4° copy 2

cipe digniſſimam gerit. At quorſum opus eſt (dicet quiſpiam) partim vetuſta partim à patria noſtra diuerſa, Regum & Principum, qui Aſtrorum Scientiam laudabiliter exornarunt, exempla, quaſi è longinquo, in medium producere, cum propria in Tuæ ipſius Celſitudinis Regia familia, Princeps inclyte, planéq; domeſtica in promptu habeamus. Et ne nimis altè hujus rei Teſtimonia exordiamur, occurrit in recenti admodũ memoria, Pijſſimæ & laudatiſſimæ recordationis Rex, CHRISTIANVS TERTIVS C. T. Auus, qui non ſaltè in Religione puriore aſſerenda, & alijs liberalibus artibus in hoc Regno liberaliter fouendis, ſed etiam in Aſtronomicis rebus cognoſcendis, nõ minimum operæ impendebat. Quod non obſcurè teſtatur magnificum illud Automatum Motuum Cœleſtium, magnis impenſis, illius juſſu, confectum, quod etiamnum in Regia Hafnienſi conſeruatur: cujus attenta inſpectione, Optimus ille Rex, ingraueſcente jam ætate, ſæpenumerò ſeſe ab alijs curis, per aliquot continuas horas, recreare ſolitus erat. Simile quoddam, licet magnitudine diſpar, Moſcorum magno Duci, eximij muneris loco miſit, quod Barbarus iſte Cyclopico ſuo judicio contemnens, repudiauit, quo nomine à celeberrimo noſtri æui Philoſopho Petro Ramo, in Scholis ſuis Mathematicis, non immeritò taxatur, velut Pijſſimæ Memoriæ T. C. Auus, ab eodem, ob Artis hujus amorem, dignis elogijs commendatur. Sed & ipſum Dominum Parentem T. Celſitudinis, FRIDERICVM SECVNDVM, modò Daniæ et Noruegiæ Regem Opt. et Potentiſſ. Aſtronomicis Artibus plurimum fauere, in propatulo eſt. Nam, præterquam quod Scictericis Inſtrumentis & Automatorum inſpectionibus plurimum delectatur, in totius Artis pleniorem in hoc Regno inſtaurationem, Nobili viro Tychoni Brahe hero meo, hanc Inſulam Huænam, quæ libero vndiq; proſpectu, Aſtrorum obſeruationibus admodũ

oportu-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1170 4° copy 2

oportuna eſt, conceſsit, cujus etiam decreto, ſumtuoſum Ædificiū, & Machinæ quã plurimæ, Siderum exactis obſeruationibus apprimè idoneæ, in hac eadem Inſula, conſtructæ cernuntur, de quibus, quia res ipſa per ſe ſufficienter loquitur, & ſuo tempore, fauente Numine, euidentius, quam nunc verbis explicare licet, manifeſtabitur, à prolixa hoc loco commemoratione ſuperſedeo. Hæc verò CHRISTIANE, Princeps Inclyte, eam præſertim ob cauſam commemoro, vt partim externorum Regum & Principum, partim domeſticorum exemplo, T. C. ad amandam, & progreſſu temporis etiam cognoſcendam nobiliſsimam & Regali ſtudio digniſsimam Aſtrorum Scientiam, in hac tenera ætate, paulatim inuitetur, & commonefiat. Siquidem non dubiam concepimus ſpem, C. T. Auitarum & Paternarum virtutum, tum in protegenda Religione, conſeruandiſq; alijs honeſtis diſciplinis, tum etiam in hac ſublimi Arte, quæ inter cæteras facilè principem locum obtinet, excolenda & magnifacienda, non minus quam Regni, exoptatiſsimum fore ſucceſſorem. Quod vt confidentius ſtatuatur, efficit eximia illa, qua prædita eſt T. C. in diſcendo Ingenij felicitas, adeò vt cum nonum ætatis annum nondum adimpleueris, nec multum vltra biennium, Latinis literis, ſub Doctiſsimo & vigilantiſsimo Præceptore M. Iohanne Michaëlide, operam dederis: tamen in tantum hactenus profeceris, vt Latio ſermone quiduis eloqui & ſcribere, expeditius, quàm in hac ætate fieri poſſe credibile eſſet, vel tantillo tempore aſſequutus ſis; velut hanc T.C. Ingenij celeritatem, aliquoties ab Hero meo, coram alijs Nobilibus conuiuis, prædicari audiui, monſtratis etiam Literis, T. C. Induſtria congrua Latinitate compoſitis, & propria manu eleganter exaratis, vt vel hinc pateat non fruſtra dixiſſe Poëtam,

Principibus virtus prouenit ante diem.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1170 4° copy 2

Ob hanc etiam cauſam, T. C. hoc Latinum Calendarium humiliter offerre & dedicare volui, vt quemadmodum C. T. in alijs Artibus, Latino idiomate conſcriptis, nunc prima initia ponere aggreditur, ſic etiam hæc Aſtrologiæ leuia quædam libamina, vna eademq; opera, ſuauiter deguſtet. Facilimè enim ex hoc Diario, C. T., ſi non alia, ſaltem Solis & Lunæ curſum, vnà cum Nouilunijs & Plenilunijs, intermedijſq; Quadraturis, ad certos dies numerare diſcet: atq; hac ratione, ad plura & ſolidiora, in hac Regali Arte, per ætatis incrementum percipienda, paulatim aſſuefiet. Tuam itaq; Celſitudmem humiliter oratam volo, vt hanc meam in Diario offerendo audaciam, in meliorem partem interpretari, & clementer ac beneuolè accipere, dignetur. Deus Opt. Max. Celſitudinem Tuam vnà cum Inclyto Duce Huldarico Fratre, non minus Generoſæ Indolis puero, in Pietate, Virtute, & bonarum Artium Cognitione, indies magis magiſq; proficere largiatur, & quàm diutiſsimè Incolumem conſeruet. Datum Vraniburgi Calendis Ianuarij, Anno 1586.

Celſ. T.

Obſequentiß.

Elias Olai
Cimber.

AD
ASTROLOGIÆ METEOROLOGICÆ
STVDIOSOS, ET CANDIDVM LECTOREM,
PRAEFATIO.

INfluentiam Cœleſtium Corporum in hæc Inferiora, non adeò certæ cognitioni patere, atq; eorum Motum, nemo uel inter Aſtrologiæ iudicariæ addictiſſimos, inficias ire conabitur; Occulta enim illa, quæ Sideribus ineſt Energia, non niſi per ſolam Experientiam (quæ in tanta cauſarum uarietate multiplicíq; concurſu admodum lubrica & fallax exiſtit) comprehendi poteſt; Motuum uerò ratio, utut abſtruſa admirandaq; ſit, per ipſos tamen uiſuales ſenſus cœlitùs debitis Organis accuratê animaduerſa, beneficio Geometriæ & Arithmeticæ, Artium nulli fallaciæ obnoxiarum, in Scientiam minimè dubiam redigitur. Licet uerò tota illa Doctrina, quæ Cœli & Siderum, tum in Mundum Elementarem, tum in ipſum Hominem Microcoſmum, Influxus ſcrutatur, quàmplurimis errorum labyrinthis inuoluta ſit, tamen nulla ſui parte magis anceps & incerta exiſtit, quàm in hac, quæ de Auræ mutationibus Meteorologicas prædictiones proferre conatur, idq; ob multiplices & euidentes rationes. Nam, præterquam quòd in ipſo Siderum apparente motu exactè numerando, plura adhuc deſiderentur, quàm maxima pars Aſtronomorum perſpiciat, ideoq; ingreſſus Solis in Æquinoctialia & Solſtitialia puncta, ipſaq; Nouilunia & Plenilunia, cum cæteris tam Luminarium quàm reliquorum Planetarum configurationibus, ea præciſione, quam rei exigentia poſtulat, hactenus non omni ex parte abſoluuntur: accedit & hoc, quòd ingenitæ Stellarum Vires, & uarijs permixtionibus differentes Naturæ, ne à ueteribus quidem Aſtrologis (qui longè majorem quàm Neoterici in his adhibuerunt diligentiam) adeò certò perueſtigatæ ſint, quin copioſa adhuc in ijs lateat ambiguitas. At demus, tum Siderum exactam motuum numerationem, tum etiam Vires & Naturas nullatenus ignorari, nihilominus tamen ad aërearum mutationum infallibilem prædictionem nequaquam pertingemus. Non enim ſolius Cœli & Siderum ratio hic habenda uenit, ſed ipſa etiam Tellus, cum alijs uicinis Elementis, non minimùm unà cooperatur. Nec enim hæc eaſdem Siderum influentias eodem modo perpetuò recipit, Vnde fit, ut una eademq; Stellarum diſpoſitio, etiam in uno & eodem Terræ ſitu, ſimiliq; Anni tempore, diuerſimode ſæpenumero agat. Hanc uero ab inferiori Elementorum natura, Terreſtriq; (ut ita loquar) Aſtronomia, contingentem Influentiarum uarietatem, nullus uel diligentiſſimus Aſtrologus ſufficienter præuidebit; Siquidem in his nulla regularis & conſtans ratio præfiniri poteſt. Ipſa etiam Meteororum materia, adeò fluxa & inſtabilis exiſtit, ut caſu potius, quàm certa aliquâ lege, agitari uideatur. Nam & uariam, ſuâ ſponte, nullis Sideribus impellentibus, induit Metamorphoſin, & nunc in hanc, nunc in aliam naturam diuerſimodè

tranſplantatur, quam uentorum quoq; inperſcrutabilis poteſtas pro libito hac illac commouet, ita ut ſi qua nubes pluuijs fœcunda, uentorum impetu irregulari, in certi alicujus loci uerticem impellatur, pluuiam illic demittet, cum tamen in propinqua uicinitate, ſerenitas amœna uigeat. Imò uerò non rarò contingit, totum Hemiſphærium in aliquo Horizonte, denſiſſimis obduci nubibus, cum tamen in alio, 20 aut 30 ad ſummum miliaribus remoto, Cœlum uniuerſum lucidiſſimum, nè unà quidem apparente nubecula, conſpiciatur. Non enim altè aſcendunt uapores, unde nubes cæteraq; Meteora generantur. Demonſtratur ſiquidem à Vitellione in Opticis, ſupremum ad quem pertingunt locum, non diſtare à terræ ſuperficie, niſi 12 Miliaribus nobis uſitatis, quamuis rariſſimè euſq; attollantur. Sæpenumerò enim nubes, non plus duobus aut tribus miliaribus, à terra remouentur, unde fit, ut eadem Meteora, in non adeo multum diſſitis terræ partibus, ſimiliter nequaquam animaduertantur. Cùm uerò Cœli poſitus in tantillo terrarum interuallo, nullam perceptibilem alterationem admittat, hanc diuerſitatem præuidere, omnem Ingenij humani ſolertiam excedit. Præterea non rarò contingit, generales Influentias, ex uniuerſali quadam cauſa, quæ particularioribus derogat, prouenire, ita ut omnia, quæ in conſiderationem adhibenda ſunt, Aſtrologus, licet ipſo Argo oculatior, uix undiquaq; perſpiciet. Nolo hoc loco Theologorum irrefragabilem adjungere ſententiam, quòd Deus Author uniuerſi, ſuo arbitrio, etiam abſq; ſecundarijs cauſis, Temporum naturas diſponat, id quod nemo Aſtrologorum, etiam inter Ethnicos, unquam infiſciari tentauit. A Phyſicis enim prædictionibus, liberrimam primæ cauſæ actionem ubiq; excipi, neminem latere arbitror. Cum itaq; tot concurrant, ad auræ mutationem in quolibet Horizonte, citra errorem præuidendam, apud intelligentes & rei difficultatem penitius perpendentes, ſi non ſemper metam in hiſce prædictionibus attigerimus, excuſationem facilè merebimur. Neq; enim eo conſilio, has de aëris ſtatu conjecturas Aſtrologicas adornaui, quòd ſperarem, me ubiq; ipſiſſimum ueritatis ſcopum collimaturum, ſed ſaltem, ut ad ſingulos dies, annotatis Siderum, quæ coincidunt, diſpoſitionibus, & conſiderata, tempore præcipuarum Syzygiarum Luminarium, Cœleſti conſtitutione, auræ mutationem hinc prouenientem experiri, hacq; ratione pleniorem aliquam in hac Aſtrologiæ parte certitudinem aſſequi liceret. Quo autem ordine totum hoc negocium aggreſſus ſim, quaq; Methodo hoc Diarium abſoluerim, nunc explicare aggrediar.

Primùm Cometæ illius, qui Anno præcedente, Menſibus Octobri & Nouembri, ſub Signis ♓ ♈ & ♉ cernebatur, obſeruationes exactas, & de ipſius ſignificationibus, ab Aſtrologia petitas conjecturas, in medium adduxi, idq; non tantum ob id, quòd Cometarum apparitio admodum rara & ferè miraculoſa exiſtat, unde eorum deſcriptio, tanquam res magni momenti, à plurimis cupidè deſideratur, ſed hanc etiam ob cauſam, quòd generalis quædam hujus anni Aſtrologica prædictio, ab hoc ipſo Cometa, non ineptè deriuetur, cum ueroſimile ſit cum præcipuos & euidentiores effectus, hoc præſertim Anno, exhibiturum.

Poſt Cometæ hujus explicationem, Quatuor Anni temporum, per Solis in Æquinoctialia & Solſtitialia puncta ingreſſum, Aſtrologicam dijudicationem ſubiunxi. Tempora uerò, quibus Sol Cardinalia puncta ſubit, ex ipſius TYCHONIS, Heri mei, in motu Solis,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1170 4° copy 2

lis, per præcedentium aliquot Annorum accuratas obſeruationes, facta reſtitutione, mutuatus ſum, quæ quantum ab utraq; ſupputatione, tam Alphonſina quàm Coperniana diſcrepent, uterq; calculus, unà aßignatus, manifeſtum reddit.

Deinde ipſam Diarij, per ſingulos Menſes cum ſuis diebus, deſcriptionem aggreſſus, eam tali forma comprehendere placuit, ut in antecedente latere, duæ primæ columnæ, menſium dies indicarent, idq; tam iuxta annum Iulianum ueterem, quàm eiuſdem non ita dudum, per decendij ablationem, factam innouationem. Licet enim, in noſtris Regionibus, Neoterica illa Calendarij forma non ſit approbata, tamen quia diarium hoc, ad ea etiam loca, ubi eius uſus receptus eſt, proculdubiò perueniet, uolui utriq; parti hoc modo conſulere.

Tertia Columna, Feſta, quibus certi dies communiter denominantur, idq; ſaltem iuxta antiquam illam, qua nos utimur, anni rationem, exhibet.

In Quarta & Quinta ſerie, utriuſq; Luminaris locus, ad Meridiem ſingulorum dierum annotatur. Vbi Solis motus ſcrupuloſè indicatur, idq; ſecundum Tychonicam, de qua dixi, in motu Solis, ex ipſo Cœlo diductam emendationem. Quicunq; uerò Cœlum ipſum, non fallacibus Inſtrumentis, accuratè introſpicere nouit, iudicabit, quanto beneficio Aſtronomiæ cultores herus meus affecerit, quòd tam abſolutam Solaris curſus rationem, diu fruſtrà deſideratam, in hoc Diario publicare (maiori fortè rerum Aſtronomicarum emolumento, quàm quiuis animaduertit) mihi liberè conceſſerit.

Sexta diſtinctio, Planetarum inter ſe inſigniores configurationes, pro loci capacitate, continet. Septima uerò, eorundem cum illuſtrioribus quibuſdam fixis Sideribus, in noſtro Horizonte, exortus & occaſus manifeſtat.

In alterius lateris primo ordine, Octogonicæ cœli conſtitutiones, quales tempore præcipuarum Syzygiarum Luminarium incidunt, conuenientibus figuris exprimuntur. Quòd uerò Octogonariam potius quàm duodenariam diuiſionem in Thematibus hiſce deſignandis elegerimus, ſuas habet ab ipſa experientia ſtabilitas rationes, de quibus nimis longum foret, hoc loco ſufficientem commemorationem inſtituere.

Secundus ordo Tempora Nouiluniorum, Pleniluniorum, et ambarum Quadraturarum indicat, unáq; breuem explicationem generaliorum in auræ ſtatu conſtitutionum, quales ipſas Syzygias Luminarium producere uerosimile eſt, ſingulis Figuris annectit. Tempora autem harum configurationum, motui Solis emendato (de quo prius dixi) innituntur, Quare non mirum erit, ſi ab uſitatis ſupputationibus ſæpenumerò diſſentient.

Tertio ordine, auræ mutationes particulares, certis diebus, in ultima eiuſdem lateris columna, adaptantur, ea ratione, ut dies illi, ad quos è regione annotatus auræ ſtatus pertinet, lineola quadam tranſuerſa dirimantur.

Quemadmodum uerò ab initio teſtatus ſum, hanc Aſtrologiæ partem, quæ circa Meteorologicas prædictiones uerſatur, ob uarias cauſas, plurimis erroribus obnoxiam eſſe, ſic etiam in his, quas aßignaui de aëris Qualitatibus, coniecturis Aſtrologicis, ſi non ubiq; euentus reſpondeat, tuum erit beneuole Lector, perplexam rei propoſitæ difficultatem perpendere, omniaq; candide interpretari, Vale.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1170 4° copy 2

DE COMETA SEV STELLA CRINITA ROTVNDA, QVÆ ANNO antecedente in Octobri & Nouembri apparuit.

ANNO proximè elapſo 1585, Octobris Die 18, inter Horam 9 & 10 veſpertinam, cum Sidera, more conſueto, hic Vraniburgi Obſeruaremus, animaduerſa eſt diuerſa quædam ab iis, quæ Mundo coæua ſunt, Sideribus, circa linum Piſcis meridionalis apparere Stella, ex eorum genere, quas Crinitas Veteres appellarunt; cuius magnitudo Fixas primi honoris aliquantulum excedebat; Non tamen luminis claritate, & ſcintillantibus radiis, eas æmulabatur, ſed tenebroſo, ſubpallido, & obtuſo lumine prædita erat, adeò vt nebuloſo gyro Cancri, quem Præſepe vocant, quàm ſimilima appareret. Fuit etiam vndiquaq; rotunda, compactior quidem & lucidior aliquantulum in ſui meditullio, ſed circa extremitates rarior, atq; obſcurior: nullamq; caudã in longum ab vlla ſui parte, veluti aliàs vtplurimum in Cometis fieri ſolet, protendebat; ſiue quòd reuera nulla ſui parte oblongior fuerit, ſiue quòd caudam illam ſi quam fortè habuerit, ſurſum à nobis auerterit; eò quòd circa Solis oppoſitum, toto durationis tempore verſaretur, in cuius contrarias partes, Cometarum caudas quàm proximè extendi, crebra experientia compertum eſt. Fuit autem hæc Crinita Stella, prædicto tempore, quo hìc primò conſpecta eſt, propè tertiam in nodo lini ✱ Auſtralioris, diſtans ab

ea verſus Polum, Gradu 1. Scrup. 13. Hinc ſucceſſiuè, iuxta Signorum ordinem, progreſſa, Arietis conſtellationem pertranſiuit, & inde verſus Septentrionem Tauri Sidus accedens, inter Caput Algol & Pleiades, circa medium Nouembris, conſpici deſiit.

Vt verò huius Crinitæ Stellæ apparentiæ, per totam ipſius durationem, exactius innoteſcant, è quàmplurimis iiſdemq; minimè fallacibus Obſeruationibus, oportuna ſerenitate per Tychonica Inſtrumenta factis, ſeligemus ea præſertim loca, quæ tunc, cum non longè à Meridiano abeſſet, quā proximè habere licuit, obtinere viſa eſt; hæcq; ad ſingulas noctes, quibus conſpici poterat, ordine recenſebimus.

Die 18. Octobris, cuius ſequente nocte hæc Crinita Stella primùm hic (vt dixi) conſpecta eſt, fuit Hora à Meridie 11. M. 10 ipſius Longitudo in 19 G. 33. M. ♈. Latitudo 3. G. 28 M. Meridion. Aſcenſio verò Recta 19. G. 22 M. & Declinatio 4 G. 28 M. Bor.

Sequenti die non erat in noſtro Horizonte ſerenum, verùm Die 20. Hora P M. 11. M. 30. obſeruata eſt eius Longitudo in 23. G. 41. M. ♈. cum Latitud: 1 G. 40 M. Meridionali. Et Aſcenſio Recta 22 G. 32 M. cum Declinatione 7 G. 40 M. Boreali.

Die 21, rurſus noſtrum Hemiſphærium erat nubibus obductum. Quare 22 die, cum ſerenitas commoda reſtitueretur, dimidia Hora ante mediam noctem, Longitudo eius in 27 G. 27 M. ♈. viſa eſt, cùm Latitudine Meridio-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1170 4° copy 2

nali, 0 G. 5 Min: cum ſemiſſe, & Aſcenſio Recta 25 G. 30 Min: cum Declinatione 10 G. 31 Min: Bor.

Deinde ab hoc die, vſq; in Quartum Nouembris, nulla fuit hìc conſtans ſerenitas, ſed perpetuæ fermè obſcuritates, imbribus & tempeſtatibus refertæ, Siderum aſpectum intercludebant. Et ſi quæ momētanea ſerenitas interea concederetur, Luna ſuo lumine, Crinitæ huius per ſe admodum tenuiter apparentis conſpectum, quò minus Inſtrumentis obſeruaretur, offuſcabat. Hoc itaq; Die 4, reſtituta aliquali Serenitate, H. 10 M. 30 P M. deprehenſa eſt Cometæ huius Longitudo in 13. G. 16 M. ♉ cum Latitudine Bor. 6. Gra. 20 M. Aſcenſio verò Recta 38 G. 45 M. cum Declinatione 21 G. 54 M. Bor.

Die 5 Hor. 11. M. 15, fuit eiuſdem Longitudo in 14 G. 9 M. ♉ & Latit: 6 G. 39 M. Bor. Aſcenſio Recta 39 G. 33 M. & Declin. 22 G. 28 M.

Die 6. H. 11 M. 40. Longitudinem habuit in 14 G. 58 M. ♉ Latitudinem verò 6 G. 55 M. B. & Aſcenſionem Rectam 40 G. 17 M. cum Declinatione 22 G. 58 M. Borea.

Die 7 Hora 8 M. 15, fuit ipſius Longitudo in 15 G. 36 M. ♉ cum Latitudine 7 G. 6 M. Sept. & Aſcen. Recta 40 G. 53 M. & Declin. 23 G. 21 M. Septen.

Poſtea Die 9 Hora 9 M. 30 P M. animaduerſa eſt eius Longitudo in 17 G. 0 M. ♉ & Latit: 7. G. 32. M. Bor. Aſcen. Recta 42 G. 10 Min: & Declin: 24 G. 11 M Sept.

Die 12 H. 9 M. 20 P M. fuit eiuſdem Long: in 18 G. 47

Min:

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1170 4° copy 2

Min: 8. Latit: 8 G. 7 M. Sept. & Aſcen. R. 43 G. 51 M. cum declinat. 25 G. 15 M. Bor.

Poſt hunc diem, licet hæc Crinita Stella adhuc triduum vſq; in 15 Nouemb: aliquatenus acutiſſimè intuenti videretur, tamen adeò tenuis extitit, vt nullo Inſtrumento foret obſeruabilis. Nec poſt diem 15 amplius vſpiam animaduerſa eſt.

Ex his locis ad certa temporum momenta accuratè obſeruatis, per Triangulorum Sphæricorum rationes, demonſtratur, Cometam hunc ſuo ductu deſcripſiſſe quidem portionem circuli in Sphæra maximi, qui tamen aliquantulum variabilem ad Ecclipticam et Æquatorem obtineret inclinationem, idq; motu quodam ordinato & regulari. Nam die 18, quo primùm nobis viſus eſt, inclinabat eius ductus ad Ecclipticam P. 23 M. 17. Vltimo verò die, quo obſeruabatur, videlicet 12 Nouēbris, fuit eadem inclinatio ad Ecclipticam P. 21. M. 34. Jn hunc enim modum ſucceſſiuè decreſcebat ad Ecclipticam inclinatio. Ad Æquatorem verò fuit Die 18 Partium 45 cum ſemiſſe ferè, quæ etiam pedetētim minuebatur, ita vt Die 12 Nouemb. fuerit G. 44 Scrup. 17. Ex quibus colligitur, Cometam hunc deſcripſiſſe ſuo motu portionem circuli, ad Æquatorem quidem inclinantem per dimidium fermè Angulum Rectum, ad Ecclipticam verò, per Anguli Recti partem quaſi quartam, quod conſideratione dignum iudico.

Pertranſiuit autem hic Cometæ ductus Æquatorem,

circa

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1170 4° copy 2

circa finem 15 Gradus ab interſectione verna. Eclipticam verò in 27 G. 38 M. ♈, idq; D. 22 Octobris, Horis elapſis à Meridie 14. Minutis 40.

Colligitur inſuper ex antecedentibus Obſeruationibus, Cometam in eo arcu circuli maximi, quem motu ſuo proprio deſignauit, ab initio celerius, in fine verò tardius proceſſiſſe; idq; ea ratione, vt poſt mediam noctem diei 18 Octobris, habuerit in hoc arcu proprio, motum diurnum, 2 Graduum, 17 M. Die 20, Graduum 2 M. 5. Die 22. G. 1. M. 55. Atq; ita ſucceſſiuè inhibebat curſum ſuum, donec is inter 4 & 5 Nouemb: 54. Inter 5 & 6 Nouembris 50 Scrupulorum fuerit. Circa vltimum verò tempus quo à nobis obſeruatus eſt, videlicet die 12 Nouembris, motum diurnum ſaltem 34 Min: obtinuit. Apparet itaq; hunc Cometam non irregulariter, ſed motu ordinario & proportionali, curſum ſuum pedetentim retardaſſe.

De Parallaxibus huius Crinitæ, è quibus ipſius à Terra diſtantia colligitur, quia res hæc, cum non breuibus abſoluatur, plenè hîc tractari nequit, id ſaltem hoc loco indicabo, eas admodum fuiſſe exiguas, vixq; perceptibiles, vt neceſſarium fuerit, Cometam hunc in altiſſimo Æthere, idq; nō multum à Sphæra Solari remoto interuallo, curſum ſuum abſoluiſſe, nedum vt in ſuprema Aëris regione, longè infra Lunam agitaretur, velut Peripathetici, in omnibus Cometis haud aliter fieri poſſe, hactenus nobis perſuadere conati ſunt.

Demon-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1170 4° copy 2

Demonſtrationem verò huius rei ſufficientem, & nulli ambiguitati obnoxiam, obtinebimus, quando ea quæ Herus meus de toto hoc Cometarum negocio luculenter conſcripſit, in Publicum prodierint. Illic enim è quam plurimis & minimè fallacibus Obſeruationibus, Geometrica certitudine conuincetur, non ſaltem hunc Cometam, ſed eos etiam, qui præteritis annis conſpecti ſunt, nequaquam in Elementari Regione, ſed in ipſo Cœlo longè ſupra Lunarem Sphæram extitiſſe. Id verò ab ætherei Mundi Natura non adeò alienum eſſe, velut Ariſtotelici opinantur, Noua Stella, quæ Anno 72 circa Conſtellationem Caßiopeæ, in ipſa Octaua Sphæra, ſupra omnium Planetarum Orbes, neceſſariò conſtitit, euidentißimè comprobauit. Sed non eſt huius loci de his copioſius tractare, ſiquidem, vt prius dixi, longè maioris ſunt momenti, et pleniorem requirunt demonſtrationem, quam quæ breuiter, leuiq; negocio, abſoluatur. Quare in hunc modum ſufficienter expoſitis iis, quæ ad huius Cometæ motum toto eo tempore, quo nobis conſpiciebatur, pertinent, ad Aſtrologicum de ipſius effectibus Iudicium, quatenus huius Artis beneficio nonnulla probabiliter in his coniectare licet, progrediemur.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1170 4° copy 2

DE HVIVS CRINITÆ STELLÆ effectibus Conjecturæ Aſtrologicæ.

QVæ de Phænomenis huius aſcititiæ Stellæ hactenus expoſuimus, ea, et Obſeruationibus, per Inſtrumenta minimè fallacia diligenter habitis, & Fixarum, quarum in dimenſionibus vſus erat, adamuſsim reſtitutis locis, & per Triangulorum Sphæricorum rationes ſcrupuloſe adinuentis Numeris, nulli ambiguitati obnoxia eſſe comprobantur. De Effectibus verò, quæ nunc ſubiungenda veniunt, non adeò firmis innituntur fundamentis, & Experientia (cui hoc loco ſtandum eſſet) in ipſis Mundo coæuis Sideribus, ſæpenumerò dubia & fallax exiſtit, nedum in his rariſsimè apparentibus nouis generationibus. Quia verò maiori deſiderio à quamplurimis expetuntur Prædictiones, quàm Motuum ratio, etiam hac in parte aliorum votis, quantum in me eſt, non ſum defuturus. Probabiles itaq; coniecturas, de huius Cometæ ſignificationibus, generaliter indicabo, quas tamen nequaquam pro infallibili prænotione, quæ nullam euentuum fruſtrationem admittat, vendito. Licet verò abſolutam certitudinem, in his præuiſionibus, nulli mortalium patere exiſtimem, non tamen cum quibuſdam, aliàs apprimè eruditis viris, ſentio, qui vt Cometas omnis Influentiæ expertes eſſe, plauſibiliter obtinerent, ſuperioribus annis ſuas quaſdam opinabiles rationes publicarunt. Nullatenus enim veroſimile eſt, tanta Cometarum Corpora, quæ ſæpenumerò mole ſua ipſa terra

non

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1170 4° copy 2

non multò minora exiſtunt, interdum etiam eam adæquant, vel nonnihil exuperant (velut in hac Crinita ab initio factum eſſe, diameter viſibilis ad ingentem diſtantiam collata comprobauit) tanquàm otioſa quædam in Cœlo ſpectacula exhiberi, cum Deus & Natura, ne in minimis quidē & Terreſtribus rebus, fruſtrà aliquid agat. Nec obſtat, quòd Aſtrologorum in his vaticinia ſæpenumerò fruſtrentur; Non enim eorum qui Artem aliquam exercent, errata, Arti fidem derogant, Multoq; abſtruſior eſt Cometarum Natura, & Influentia, quā vt vllis humani Ingenii viribus ſatis explorari queat. Nec ſemper mala, vt pleriq; exiſtimant, ominantur, quin potius nonnulli ex illis, qui præſertim beneficarum Stellarum Naturæ aſſimilantur, ſalubritatem, fertilitatem, & læta proſperaq; omnia præſagiunt. Quapropter, cum non vbiq; in rebus tam abſconditis, veritatis nucleum introſpicere liceat, ingenii noſtri imbecillitas potiùs culpanda, quàm oſtenta diuinitus hominū cauſa exhibita, temerè eleuanda.

Verùm vt ad rem propoſitam accedamus, in conſideratione Effectuum huius Cometæ, has potiſſimùm Quæſtiones, pro Ingenii modulo, Aſtrologicè diſcutiam. Primùm quæ genera Euentuum portendat. Deinde, quibus Regionibus & Populis. Tandem, quo tempore & quàmdiu vires ſuas manifeſtabit.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1170 4° copy 2

QVÆ autem de generibus euentuum conſideranda veniunt, abſtruſiora ob id euadunt, quòd nullū certum principiū detur, à quo Iudicium hoc deſumatur. Si enim primus Cometarū exortus, quò ad certum Cœli locū, vnà cum reliquarū Stellarum ad hunc Configuratione, et totius Siſtematis Cœleſtis poſitu, certò nobis conſtaret, procul dubio de Effectibus eorū, eò probabiliorem prædictionē aſſequeremur. Verùm cū id vix vnquam concedatur, id quod proximum eſt tentabimus, et partim ab ipſa forma, colore & aſpectu huius Crinitæ, partim à cōmixtione & applicatione Planetarum, tum etiam à tranſitu per Signa Zodiaci, ipſius Influentias indagare conabimur. Pro conſtitutione verò Cœli aſsignanda, quæ potiſsimas vires obtineat, aſſumam Tempus Nouilunii, quod Cometæ apparitionem proximè ſequebatur, Die 10 Octobris Horis à Meridie 11 fermè elapſis. Licet enim à nobis hæc Crinita Stella, Die 18 Octobris, vt ſuperius indicauimus, primum animaduerſa eſt, eò quòd in noſtro Hemiſphærio, inde ferè ab initio Octobris, continuæ Obſcuritates Cœli & Siderum conſpectum interdicebant, nihilominus ab exemplari literarum Illuſtriſsimi Principis Guilielmi Landtgrauii Haſsiæ, ad Nobiliſsimum & Aſtrologiæ peramantem Virum, Dominum Henricum Ranzouium de Bredenberg, Vicarium Regium in Holſatia perſcriptarū, Hero meo tranſmiſſo, colligitur, per integrum decendium anteà, hunc Cometam à dicti Illuſtriſsimi Principis Mathematico Chriſtophoro Rothmanno, obſeruatum fuiſſe:

idq;


idq; Die 8 Octobris, circa nonam veſpertinam, loco ipſius tunc in 23 Gradu ♓, cum Latitud. Meridionali 14 Part. inuento, quod motui huius Crinitæ à nobis deprehenſo, ſi is ſeruata inceſſus Analogia in eum vſq; diem anticipetur, non eſt inconueniens; fieri etiam potuiſſe, vt paucis aliquot diebus adhuc prius effulſerit, facilè cõceſſerim. Quapropter cum Cometæ huius locus, quem circa prima initia obtinuit, propè maximæ coniunctionis limites, quæ Anno 1583 vltimis diebus Aprilis in 21 G. ♓ contigit, admodum partiliter coincidat, veroſimilimum eſt eum Coniunctionis huius præ cæteris Magnæ, magnos etiam effectus, qui proximis Annis inſtant, maturare, eorundemq; quaſi Prodromum quendam exiſtere. Quantum verò ad ipſius proprias ſignificationes attinet, quas ex ipſa forma & luminis atq; coloris habitudine colligere licet, ſiquidem hæc erat obſcura, ſubliuida, nebuloſa & inamœna, plurimumq; à benignarum Stellarum claro & radiante lumine diuerſa, portenduntur ex Aëris et aliorum Elementorum infectione, morbi varii, & atroces, populariter ſerpentes, inprimis verò Peſtifera lues latè graſſans, & quamplurimos mortalium ſua contagione abſorbens. Id quod nebuloſarum Stellarum Naturæ, præſertim gyri illius Cancri, quem Præſepe vocant, cui hic Cometa admodum ſimilis extitit, proprium eſſe, Ptolomæus quodammodo aſtipulari videtur, dum has ipſas in Cancri pectore obſcuras Stellas, ſuffocantes, Terras quatientes, caligineműq; offundentes, nuncupat.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1170 4° copy 2

Documentum eius rei, nimis certo euentu, præbuit Coniunctio Magna, quæ Anno 1563 in vltimis Gradibus ♋, propè huius Aſteriſmi nebuloſum gyrum, cui Cometa aſſimilabatur, contigit, quam vniuerſalis peſtis per totam Europam, innumerabilia Hominum millia interimens, proximis aliquot Annis ſubſecuta eſt. Portendit inſuper obſcuram, nubilam, & inamœnam Aeris conſtitutionem, plurimis nebulis & humiditatibus, denſiſq; nubibus & ventis vehementibus, crebriſq; tempeſtatibus, refertam. Jnundationes quoq;, & Terræmotus in quibuſdam locis ſuſcitat. Jn rebus verò Mundanis, fraudulenta & occulta conſilia, proditiones & rebelliones crebras. Hinc multorum ſtrages, ingenteſq; calamitates ſubſecuturas minatur. Hanc verò infauſtam & maleuolam Crinitæ ſignificationem, plurimùm corroborat Saturni Stella, admodum infeliciter poſita in ♈ ſuo caſu, ſimulq; Retrograda & Occidentalis, cui Cometa ſtatim poſt primam apparitionem, corporaliter applicuit, vtroq; Meridionalem Latitudinem obtinente, ipſo tamen Saturno ſupra Cometam eleuato; & quod plurimum vehementiæ in nocendo addit, ambo circa apicem Medii Cœli in Nouilunio proximè ſequente per mutuam applicationem iungebantur, velut ſubſequens figura indicat.

Patet itaq; quòd Cometa hic cum Saturni Sidere magnam habuerit conſpirationem, cui etiam ipſa forma & colore ſuo plumbeo aſſimilabatur, ideoq; ipſius Effectus, Saturni

turni malè diſpoſiti naturam potiſsimùm æmulabuntur.



Quapropter, præter morbos Epidemicos paſsim ſæuientes, Cronicas etiam ægritudines latè ſuſcitabit, vt Quartanas diuturnas, Apoplexias, Epilepſias, Paralyſes, Marcores, Catarrhos periculoſos, morboſq; Melancholicos, & è Splene atraq; bile originem ducentes, idq; potiſsimum in iis Corporibus, quæ his affectionibus præ cæteris obnoxia exiſtunt. Rebus etiam è Terra naſcentibus, & victui Hominum cæterorumq; animantium neceſſariis, hic Saturninus Cometa non exiguum detrimentum minatur, vnde Annonæ caritas & Fames, in multorum perniciem latè ſæuient, eruntq; inter Homines, luctus, terrores & magnæ anguſtiæ, crebraq; exilia & perſecutiones multiplices. Quia verò hic Cometa ſub Signo ✶ Exortus eſt, in □ Iouis in ſuo Detrimento Retrogradi, Religionis & mutationis Legum cauſa, grauiores adhuc tumultus & clades, quàm priora tempora tulerunt, minitari videtur, præſertim cum non longè ab Æquinoctii Puncto inciderit, quod, teſte Ptolomæo, Sacrorum ſignificationem habet. Plebis inſuper calamitoſum ſtatū, & ſeditiones inauſpicatas, è Dodecatemorii Piſcium Natura, non obſcurè

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1170 4° copy 2

obſcurè portendit. Cumq; hic Signiferi locus, in quo Cometa incœpit, Triplicitati Aqueæ deputetur, copioſas & intempeſtiuas Humiditates aliquandiu excitabit, quas tamẽ ob feſtinum in Arietem, qui de Trigono Igneo eſt, tranſitum, non minus immoderato calore et ſiccitate viciſsim compenſabit. Varia ſimul in Aëre prodigia & Meteora inſolita apparebunt. Nauigationes etiam & maritimæ negociationes periculoſæ erunt, crebraq; audientur naufragia, ob tempeſtatum increbreſcentem vehementiam; quòd à Cometæ huius influxu non alienum eſſe, dum is adhuc exiſteret, euidenter patuit. Siquidem circa 26 diem Octobris cum Luna Ætherei & Elementaris Mundi internuncia à Saturno defluens ipſi Cometæ applicaret, tanta in noſtris Oris Ventorũ Tempeſtas inualuit, flante intenſiſsimè Noto & Libanoto, quantam aliquot annis præcedentibus, nemo noſtratium meminit: quæ etiam non exigua damna Terra mariq; dedit. Veluti aliàs quoq; perdurante hoc Cometa Ventorum impetuoſi flatus ſolito crebriores & turbulentiores extiterunt. Præterea licet hic Cometa Saturni naturam propriè & principaliter referebat, cum Marte tamen non minimam ſimul analogiam obtinuit, eò quòd tempore Nouilunii eius apparitionem proximè ſequentis in 7 Gradu ♈ (ſub cuius etiam Signi vltimis partibus Eccliptica pertranſiuit) verſaretur, ipſo Marte & Cometæ & Saturni locum diſponente. Erunt itaq; Effectus ipſius à Martiis etiam ſignificatis non admodum alieni, & morbis Cronicis de quibus ſu-

bus ſupra dixi, acutos eqꝫ cholera flaua efferueſcentes, intermiſcebunt. Jnprimis verò hoſtiles inimicitiæ, & bellici furores, non ſine multorum cæde & ſanguine, latè ſæuient, In quibus tamen plura dolo, occultis technis, inſidiis, & proditionibus, quàm aperto Marte, peragentur. Externi etiam alicuius hoſtis aduētus portendi videtur, qui à Meridionalibus Terræ partibus progrediens, Borealiores infeſtabit. Plurimorum itaqꝫ Hominum interitus, non ſolum peſte et morborū variis generibus (prout ſuperius indicaui) ſed etiam bello & hoſtilibus incurſionibus ab hoc Cometa præſignificantur. Quod etiam ſitus ipſius in Octaua domo,



eo tempore, quo Eclipticam pertranſiuit, plurimùm confirmat. Hunc enim Cœli locū mortiferam & luctuoſam habere denunciationem, Aſtrologi conſentiunt. Ut vero breuibus totum negocium abſoluam, ſiquidem Cometa per ſe, ipſo aſpectu tenebroſo portentoſus, vtriuſqꝫ maleficæ naturam participauit, Angulariſqꝫ in Nouilunio, & in tranſitu per Eclipticam, in Octauo loco extitit, omnia ferè malorum genera mortalibus, in iis præſertim locis, vbi ſuos Effectus vehementiùs intendet, impendere minatur. Jd tamen

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1170 4° copy 2

men vnà conſiderandum venit, quòd veluti hic Cometa exilis, rarus, nec euidenter apparens erat, ſic etiã Effectus ipſius futuros obſcuros, tacitos, & latenter ſerpentes, nec ſubitò vehementes, qui furtim et paulatim plus damni inferent, quàm confeſtim in oculos incurrendo facile animaduertatur. Quod verò ab initio dixi, Cometam hunc Prodromum quendã exiſtere Effectuum Coniunctionis illius maximæ nunc vigentis, id non ita accipiendum erit, quòd Synodum illam ponderoſiſſimam, per ſe, infelicem & deteriorem rerum ſtatum portendere exiſtimem, ſed potius, cum Septima ſit à Mundo condito (præſuppoſita ea ætatis Mundi numeratione, quæ communiter recepta eſt) & Sabbatiſmi Myſticam ſignificationem obtineat, prædominantibus etiam in hoc Trigono Igneo, qui nunc inſtat, beneuolis Planetis, & alias multas ob cauſas, de quibus nunc non eſt dicendi locus; ſperandum erit omnium rerum conditionem, tam in Religione, quam rebus Politicis, in meliorem, perfectiorem, & tranquilliorem ſtatum, innouatum iri. Nihilominus ſi tot enormia, & à Vero Rectoq; diſſona, quæ per totum Orbem fiunt, in præſtantiorẽ Harmoniã concinnanda ſunt, neceſſarium erit, quàmplurima impedimenta remoueri, impuritatumq; non exiguam defæcationem præcedere. Eorum itaq; malorum, quæ feliciorem proculdubio affuturum rerum ſtatum anteibunt, hic Cometa prænuncius eſſe videtur. Atq; hæc de generibus euentuum ſit dixiſſe ſatis.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1170 4° copy 2

AD REGIONES vero & populos quod attinet, quibus decreta huius Cometæ portenduntur, in primis cum Piſcibus & Ariete mutuam Analogiam obtinentes deſignantur. Quæ autem loca Terreſtria his Signis conueniant, non facilè eſt certò affirmare. Siquidem quæ in hoc negocio, cōmuniter ab Aſtrologis recenſentur, nulla euidenti Experientia fidem mereantur. Tribuit quidem Ptolomæus Piſcibus, loca quædam Turcico Imperio nunc ſubiecta; Et recentiores addunt Calabriam, Luſitaniam, atq; Hiberniam. Arieti verò Britanniam, Germaniam, Vngariam, & Galliæ partem idem Ptolomæus deputat, quibus Neoterici, Poloniam minorem, Burgundiæ Ducatum, Sileſiam & Sueuiam adiungunt. Sed his parùm certitudinis ſubeſſe ſuſpicor. Mea equidem ſententia, Effectus huius Cometæ, in eo præſertim Terræ tractu vigebunt, qui ipſum Tempore Nouilunii proximè ſequentis, in cardine Medii Cœli, vnà cum Saturno, Angularem & eleuatum habuerunt. Id quod in præcipua & potiſſima parte totius Europæ contigit, à Longitud. Locorum 15 Part. (præſertim verſus Meridiem) vſq; in Longit. Part. 40 quàm proximè, ſub quo Terræ ſpacio, Hiſpania, Italia, Gallia, Anglia, Germania, Dania, Noruegia & Suecia, comprehenduntur. Sed imprimis videntur indicari Italia, Germania, & Anglia, eò quòd in Italia et Germania, Cometa quàm proximè apici Medii Cœli acceſſit, & Germania inſuper, veluti & Anglia, Signo ♈, quod Cometa pertranſiuit, attribuuntur. Præterea veluti is in

Meridionali Cœli parte incepit, & ſucceſſiuè verſus Boream & Ortum progreſſus eſt: Sic etiam virus ſuum, in Auſtralioribus & Occidentalioribus Europæ locis, inchoabit, paulatimq́ verſus Septentrionem & Ortum diſſeminabit.

De Tempore Euentuum reſtat vltima conſideratio, quæ licet ab Aſtrologis non ſufficienter declarata ſit, veroſimile tamen videtur, initium eorum futurum in Vere huius Anni 1586, quando in Martio & Aprili, non ſolum Sol, ſed cæteri omnes Planetæ, excepto ſolo ♄, Signa ♓ & ♈, in quibus Cometa verſabatur, pertranſeunt. Velut ſitus etiam Cometæ in ☍ Solis, ad dimidium fermè Annum Effectus differri inſinuat.

Durationem verò eorundem, ad minimum integro Anno futuram, inde colligitur, quòd Cometa hic paulò vltra vnam Lunæ reuolutionem perſeuerauerit. Erunt autem ab initio, in Vere & Æſtate, intenſiores, & deinde paulatim remittentes, in Autumno & Hyeme ſubſequente, languidiores reddentur.


Atq́ hæc, de Cometæ huius Effectibus, generaliter in medium prolata, hoc loco ſufficiant. Particularem in his prædictionem inſtituere, Aſtrologiæ metas excedit.

Nunc ad Diarium, eo Ordine quo ab initio propoſuimus, abſoluendū, procedamus, et a quatuor Anni Temporum deſcriptione exordiamur.



